

MISAE

TOI

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reipol.
1624.

COLLEGI
DE SACRAMENTIS
Disputatio Septima

De
PASCHATE,

Quam

Annunte JEHOVA
SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

*In Collegio privato examinandam
proponit*

M. JOHANNES ALBERTUS Steinmüller,
Augusta-Vindelicus.

*Habebitur die 17. Septemb. horis pomeridianis
in Auditorio minori.*



WITTEBERGÆ,
Ex Officina Johannis Gormanni,
ANNO. M. DC. XX.



V I R I S

NOBILISSIMIS, MAGNIFICIS, VIRTU-
te, eruditione & autoritate ampliss. patribus patriæ Augu-
stisi: Ecclesiæ Orthodoxæ Augustanæ curatoribus ejusdemq;
collegij novi Administratoribus fidelissimis, Dominis
Patronis, Promotoribus & Mæcenatibus
quondam meis summa reverentia
devotè suscipiendis

UT ET

ANTIQUO GENERIS SPLENDORE, EGRE-
gio Virtutum nitore & Præclaro Eruditionis
Decore Amplissimis


Dn. LEONHARTO Bahler/ } PATRICIIS
Dn. HIERONYMO Sulzer/ } florentissi-
} mis.

NEC NON

Clarissimo & Literatissimo Viro
Dn. ELIÆ EHINGERO, Gymanfij Patrij
ad D. Annam Rectori & Bibliothecario
lectissimo, dignissimo,
Magnis Musarum cultoribus Fau-
toribus & Patronis

Consecro

M. JOH: ALBERTUS Steinmüller
Autor & Respondens.



PRÆLOQUIUM.

Illud demum nos in rei alicujus perceptionem commodum esse, cum eam ex causarum suarum fontibus cognitum perspectamq; habemus, & scitissimus Natura Mysta Aristoteles percrebro nullibi non inculcat, & Experientia (quæ etiam Sacratissimarum rerum Magistra merito proclamatur) clarissime testatur. Ex notitia quippe causarum ceu communi ex semine reliqua universa seriatim profeminantur, cognitionem suam derivant. Quocirca bene & recte nos quoq; hæctenus in tenendis telis nostris sacris accuratorem hanc de nihilo esse nolimus; sed enim ipsas Sacramentorum causas studiosè, ut sic dicam, mentis alè pervolare ut debuimus, sic volumus. Ita enim de fecatiore animo in speciali cujusvis Sacramenti pertractatione progredi poterimus. Cum igitur in superioribus Exercitationibus ipsa natura & essentia Sacramentorum generatim quoad principia cum interna tum externa ad sufficientiam sit exinata; nec non in proximâ disquisitione speciatim de priori veteris Fœderis Sacramento, Circumcisione, pressius aliquantùm aditatum fuerit; Agite incursim jam ad alterum cætus Israelitici Sacramentum, quod confirmationis hæud perperam appellatur, accedamus. De quo paucula insequentia Agno immaculato & cœlesti Domino nostro Jesu Christo benignè affolgente strictim quidem & cursim, at non sine curâ, secundaum nobilem causarum seriem, tribanda sunt.

T H E S I S.

I. Perverum cum sis illud Antiquitatis pronunciatum
 π ε γ γ ε τ ο ο ρ θ α ς δ ι δ α σ κ η ν , π ρ ω τ ο υ δ ε ο ε ξ ε τ α ζ ε ν τ α ο υ ο -
 μ α τ α ; ea propter est omnino opera, ut primitus de Ori-
 gine vocis Paschatis pauculis nos praebeamus sollicitos.

I I. Convenientissimam autem eam putamus opi-
 nionem, quae ab Hebræo פסח transitione transilitio-
 ne vocem hanc deducit. Nocte siquidem illa, quae pro-
 xime institutionem Agni Paschalis insecuta est Angelus
 Domini respectu regni Ægyptiaci transivit per omnes e-
 jus urbes, pagos, domus & angulos percutius primogeni-
 ta vers. 13. respectu verò adium Israeliticarum sanguine
 agnino coussersarum transilivit & præterit v. 13, 23.

I I I. Significat proinde Pascha hoc in loco 1. tran-
 situm ipsum tum Angeli Ægyptios percutientis, Israeli-
 tas vero prætereuntis, tum ipsius Jehovæ populum su-
 um educentis, Ægyptios vero supprimentis, 2. Dominum
 nostrum Iesum Christum Agni Paschalis Antitypum
 2 Corinth. 5. v. 7. verum Dei agnum Iohan. 1. 29. immacu-
 latum Hebr. 9. 14. ab origine mundi mactatum Apoc. 13.
 8. peccata mundi expiantem penitusq; abolentem Iob. 1.
 29. 1. Pet. 1. 18.

I V. Acapite autem rem arcessentes totam Pascha
 sive Epulum Agni Paschalis fuit alterum Vet. Te-
 stam. Sacramentum quo agnus immaculatus, ma-
 sculus, anniculus decima die 1. mensis è grege com-
 muni segregatus & 14. die inter duas vespertas ma-
 ctatus & allatus ab omnibus Judæis secundum
 familias & domus manducabatur cum panibus
 azy

azymis & herbis amaris ritu divinitus per Moſen tradito, in admirandæ liberationis Ægyptiacæ recordationem ad applicandam & obſignandam, promiſſionem de ſpirituâli liberatione per Chriſtum præſtanda. Ex. 12. Num. 9.

V. Hujus definitionis uberioſorem explanationem proponemus in eviſceratione Generis, Caſſarum, Effecti, Subjecti & Adjuncti.

VI. Dicitur Fuiſſe. Quia Agnus ille Paſchalis in memoriam liberationis Ægyptiacæ inſtitutus typus fuit Chriſti, qui Paſcha noſtrum pro nobis in cruce immolatus 1. Cor. 5, 7. ſegregatusq; ex genere humano & velut agnus ad occiſionem ductus Eſa. 53, 7. cujus pretioſo ſanguine ceu agni immaculati redempti ſumus 1. Pet. 1. 18. Ideoq; typo exſurgente, ceremonia ejus abrogata Col. 2, 27. ejusq; in locum cœna Dominica inſtituta. Matt. 26, 20.

VII. Atq; ſic mutua ſunt Sacramenta poſteaquam venit, qui ijs venturus delineabatur. Legalia etenim Sacramenta ante paſſionem viva, poſt paſſionem mortua; & poſtquam claruit Evangelij veritas, fuerunt omnino ſepulta, uti Auguſtus Pater Auguſtinus¹ auguſtis plane verbis ſuper hac re ediſſerit. Epl. 19. ad Hieronymum. l. 2. contra Pelag. c. 22.

VIII. Vanitas proinde eſt vanitatum & cœca cecitas Judaizantium hodieq; Vetus Veteris Fœderis Paſcha celebrantium, adeoq; umbram pro re ipſâ canis inſtar Æſopici irritis planè conatibus apprehendentium.

IX. Nihil præſidii in v. 14. cap. 12. Exodi reperient. Vox etenim Olam hic non ſignificat eternitatē perpetim duraturam, ſed certi & longævi temporis continuam & non

interruptam determinatam tamen seriem; Quomodo & Sacrificia dicuntur eterna, quae tamen finem habitura vaticinatus est Daniel c. 9.

X. Dicitur antiqui Foederis ALTERUM SACRAMENTUM, ad ostendendum Sacramenta pro duplicis Testamenti conditione diversam sortiri rationem. Quia etenim V. T. umbram habuit futurorum bonorum h. e. Christi incarnandi, ideo Sacramenta illius ex ordinatione divina instituta fuerunt ad aliquid praesignificandum.

XI. In N. autem T. adumbrationes evanuerunt. Si namq. natura Sacramentorum N. T. foret significativa, certe Veteris Foederis Sacramenta fuissent clariora quam novi, id quod plenis buccis contrariatur assertioni Apostolicae Hebr. 10. 1.

XII. Major quippe est similitudo & evidentior proportio agni paschalis immolati assati & manducati, cum Christi immolatione, quam panis Eucharistici. Hic igitur veneranda Antiquitatis regula probe tenenda. De Sacramentorum natura, substantia & proprietate judicandum est ex verbo institutionis & consideratione Testamenti illius cui sunt annexa.

XIII. Nominatur SACRAMENTUM ad illorum redarguendam errorem qui paschalem hunc ritum ad Sacrificia rejiciunt. Quibus univ. orthodoxas consensus, nec prae ter rem, contrariatur.

XIV. Etenim Ex. 12. nō de Sacrificando sed mactando agno preceptum habetur, praeterea mactatio haec nō a Sacerdote, quibus solis, competebat jus immolandi & offerendi Sacrificia, sed ab universa multitudine peragebatur, neq. agnus immolatus ad altare sacrificabatur. Ahaec agnum Israelitae mactarunt in Aegypto. divina v. lege

lege cautum erat, ne in Ægypto Sacrificia immolarentur
teste Moyse Ex. 8, 26.


XV. Haud tamen illibenter concedimus Pascha respec-
tu mactationis & sanguinis effusionis, quæ illustris fuit
typus & figura venturi Sacrificij Christi, Sacrificium fu-
isse.

XVI. EFFICIENS causa ut cæterorum Sacra-
mentorum ita Paschalis quoq; Iehova est. Ex. 12, 1. Num.
9, 1. Hic enim, uti promissionis autor est, ita & sigillorum.
Sunt enim Sacramenta nihil aliud quam idem illud
Evangelij Verbum ritibus & elementis involutum atq;
alligatum.

XVII. Ultri ergo nemini licet novum fingere Evangeli-
um, aut in Christi doctrina aliquid immutare Gal. 1, 8. ita
nulli mortalium concessa est potestas novum Sacramen-
tum condendi, vel in divinitus institutis aliquid immu-
tandi, sive actionem Sacramentalem in aliam toto gene-
re differentem pervertendi.

XVIII. Detestanda proinde Romani Præculis Sacra-
mentum aquæ ad campanas & altaria transferentis, cœ-
læ in Sacrificium Missæ transformantis atq; planè muti-
lantis audacia.

XIX. MATERIA Paschæ est p. visibilis & terrestris,
p. invisibilis & cælestis.

XX. Visibilis & terrena est Elementum quod nomi-
natur  h. e. parva pecus Ex. 12, 45.

XXI. Queritur hic qualis nam pecus intelligenda
an ovina an caprina, an utraq;. Nos communi & re-
ceptæ Christianorum interpretum sententiæ subscriben-
tes, solius agni usum in hoc Sacramento præceptum & re-

ceptum fuisse statuimus, quo etiam Vet. & N. T. oracula collimant. Et. 53, Iob. 1.

XXII. Sensus proinde verborum Ex. 12, 5. emergit talis, quod agnus ille ex communi grege tollendus fuerit. Oviuum n. & caprarum gregem promiscue junctum fuisse, vel ex historia Iacobi luculenter elucescit. Gen. 30, 32.

XXIII. Quatuor autem attributis Agnus Paschalis insignitur Ex. 12, 5. 1. Debit esse absq; omni vitio & macula. Quod in omni etiam Sacrificio vi mandati divini observandum erat; Nolebat enim Deus inutilem, scabiosum, lesum cœcum, aut fractum immolari; Deut. 15, 21. admonens hoc ipso Israelitas, ut ad internam animi integritatem summopere contendant & in cultu divino sinceritatem & reverentiam declarent.

XXIV. Quod requisitum ad Christum Dei Agnum rectissime accommodari potest. Hic enim solus est incontaminatus 1. Pet. 1, 17. in cuius ore dolus ullus nunquam inventus 1. Pet. 2, 22. Pontifex Sanctus, innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus Hebr. 7, 26.

XXV. II. Debit esse masculus propter sexus robur & præstantiam: Sic semen illud mulieris contrituum caput serpentis licet de virgine natum, masculinum non modo quo ad sexum sed etiam quoad opera & robur futurum erat. Ierem. 31, vers. 22. Esai. 53, 12. Actor. 17, 31.

XXVI. III. Debit esse anniculus. Non juvenculus, non decrepitus, sed in perfecto ætatis statu constitutus. Sic servator noster non in infantia, non in pueritia, non etiam in senectute; sed in ipso ætatis flore & vigore postquam concionibus & miraculis inclaruit pro deperdito mortaliū genere immolari voluit.

XXVII. IV. Ex agnis & hædis h. e. ex communi gre-

grege peti debuit, Quo respicitur ad Vet. Testam: Sacrificia quibus Christus promiscue sub agno & herco fuit adumbratus. Hinc D. Augustino exponente, indicatur profundissimum incarnationis mysterium. Quid enim opus erat vel agnum ab ovibus vel hædum à capris accipiendum moneri, nisi ille figuraretur cuius caro non solum ex justis verum etiam ex peccatoribus propagata est.

XXIIX. Materia Paschæ invisibilis seu coelestis fuit Christus, quatenus per agnum illum est præfiguratus.

XXIX. Gravissime, igitur olim Pauliciani hallucinati sunt, omnem Sacramenti materiam, aquam panem, vinum rejicientes & verbis duntaxat pro Sacramentis utentes.

XXX. FORMA Paschæ consistit in actione Sacramentali quæ quatuor terminatur actibus, quorum tres priores sunt preparatorij & ministeriales, postremus verò principalis & Sacramentalis.

XXXI. Præparatorius actus I. consistebat in segregatione Exod: 12, 3, 5. Debit enim oculis domesticorum exponi, ut illos de digna ad futuram immolationem præparatione admoneret. Hinc ex Rabinorum referuntur traditionibus Agnum istum segregatum usq; ad diem mactationis in hypocausto ad fulcrum spondæ alligatum fuisse, ut omnium oculis pateret, atq; ita de summis Dei beneficijs conferendi occasionem præberet.

XXXII. II. In segregati mactatione v. 6. III. in mactati assatione v. 9. Vide Dn. D. Gerhardum h. 34. hæc latius deducentem.

XXXIII. IV. Manducationis modus consistebat in ἀμνοῦ σφραγίστα seu totius Agni comestione Ex: 12, 4, 14. Et hæc

G 5

est

est principalis & Sacramentalis hujus Sacramenti actio.

XXXIV. Errant proinde Papicolæ dum usum Sacramenti cœnæ non tam in manducando quam Sacrificando consistere autumant, 2. dum idem Sacramentum extra manducationis usum esse & manere somniant, aliosq; præter Servatoris excogitant, quales sunt asservatio in Sacrario, circumgestatio, adoratio. Cui prophanitati gemmea illa B. Lutheri regula merito opponi potest & debet; Nihil habet rationem Sacramenti extra usum divinitus Signatum.

XXXV. Impingunt quoq; Calvinicolæ Fidem in classem partium essentialium redigentes eamq; formam Sacramentorum statuantes. Cum tamen Sacramenta nõ ex fide utentis sed veritate instituentis æstimanda sint.

XXXVI. Quantumvis igitur sine fide non profint, tamen illa sine fide esse qui negabitur. Probe igitur hic aureus Aureoli Augustini Aphorismus notandus & inculcandus. Cum de integritate Sacramenti, quaeritur, nihil interest quid credat aut quali fide imbutus sit is, qui accipit Sacramentum, interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quaestionem nihil interest, Fieri enim potest ut homo integrum habeat Sacramentum & perversam Fidem. Aug. l. 2, c. 14. contra donat. Et rursus. Sacramentum si carnaliter accipias, spirituale esse non definit, at tibi non est, quia tu illi non es. Homil. 26. in Ios.

XXXVII. Manducandum erat caput cum pedibus & intestinis v. b. nec quicquam ad insequentem diem erat relinquendum. Si quid verò residuum fuerat, id flammis erat consumendum.

XXXIIX. Sanguine verò agnitingendi erant postes
& superliminaria aedium, in quibus agnus manducabatur,
ut ab angelo percutiente tuti essent Ex. 12, 27. Quae extre-
ma nota ceu Pædagogia & simbolo confessionis voluit De-
us Israelitas ab Ægyptiis distinguere & ab Angelo per-
cutiente liberare, 2. Sacramenti hujus necessitatem
inculcare. Omnis siquidem domus totius regni hac sangui-
nis nota destituta patuit Angelo percussori.

XXXIIX. Ex hisce cuius manifestum evadit, quid sen-
tiendum sit de illis Fanaticorum & Photiniarum Em-
blematis, quibus Sacramentorum usum superfluum item,
Sacramenta tantum ceremonias, uti candelæ, cantiones
&c. esse existimant.

XL. Nos quia Sacramenta à Deo instituta esse cujus
ordinatio temerè nō est negligenda, novimus, quia illa di-
vinam nobis gratiam offerre, conferre & obsignare ex Sa-
cro sanctis Bibliorum paginis persuasissimum habemus;
concludimus Sacramenta non ad res pertinere adiapho-
ras, sed ad illas quæ salutem nostram concernunt, adeoq̃
observatu necessariae sunt

XLI. Necessitatem verò hic intelligimus non simpli-
cem & absolutam, quasi Deus ita hisce sit adstrictus me-
dijs, ut præter vel extra hæc gratiam regenerationis &
justificationis extraordinarie conferre vel obsignare ne-
mini possit; sed ordinis & mandati, quæ non Deum sed ho-
mines potissimum obligat, & quidem lege ordinariæ. non
in casu necessitatis. Hinc illud perverū Antiquitatis pro-
p̃ter Antiquos Non privatio sed contemptus Sacramen-
ti damnat.

XLII. FINIS Paschæ erat p. memoriale præteriti p.
typus futuri.

XLIII. Memoriale præteriti erat, quia admonebat Israelitas de eximio illo beneficio ab angelo transeunte præstito, cujus finis expressa fit mentio Ex. 12, 17, 27. cap: 34, 18.

XLIV. Typus futuri erat, quia Christum promissum & per agnum præfiguratum mundi Messiam significabat. Quemadmodum enim liberatio populi Israelitici ex servitute Ægyptiaca præfigurabat spiritualem liberationem ab infernali Pharaone id est à Sathana & peccati tyrannide per Christum in N. T. præstandam & tum vera fide apprehendendam & applicandam, ita quoque memoriale corporalis istius liberationis erat figura liberationis spiritualis.

XLV. Id quod perspicuum ex textus Mosaici Ex: 12, 46. cum dicto Iob: 19, 36. collatione, ex D. Pauli assertione 1 Cor: 5, 7. ex nomine Agni tum in V. T. Es: 53, 7. tum in N. Iob. 1, 29. Act: 8, 32. applicatione, quo etiam collimant Prophetarum & Apostolorum oracula ad unum omnia Christum cum agno & ove conferentia.

LXVI. Unde collectu facilimum Agnum Paschalem fuisse medium sive organum, quo tanquam manu divinâ Iehova suo populo obtulit & applicavit spiritualem gratiam. Non n. Sac. conferunt gratiam ex opere operato neque eam in se continent sicut alabastrum nardium, vel ut subjectum qualitatem suam naturalem, sed, ut diximus, media sunt & organa divina gratia.

XLVII. EFFECTA hujus Sacramenti sunt 1. ex servitute Ægyptiaca liberatio, 2. promissionis divinæ de introductione in terram Canaan certificatio, 3. fidei Israelitarum de futuro Messia confirmatio. Fidei enim Moses cele-

celebravit pascha & sanguinis effusionem, ne qui vastabat
primogenita tangeret eos.

XLIX. Tropistica proinde gentis Sacramentariae
temeritas merito refutanda, qua omnem efficaciam Sa-
cramentis adimunt, earumq; totam vim & proprietatem
in significando, presentando & praefigurando nude po-
nunt.

XLIX. Ejusdem fecis & fermenti est Anabaptista-
rum Sanctos in V. T. tantum umbram, non ipsa Christi
beneficia habuisse delirium. Habuerunt umbram, sed non
tantum, verum Christum simul praefiguratum & involu-
tum, quem fidei oculis respicientes remissionem peccato-
rum in usu Sacramentorum consecuti sunt.

L. In quam sententiam verè dicitur agnum occisum
ab origine mundi Apoc. 13, 8. Iudeos eadem nobis cum spi-
rituali esca frui consuevisse. Patres pariter ac nos per gra-
tiam domini Iesu Christi justificados fuisse Act. 15, 11.

LI. Ejusdem etiam folij & lolij est Lojolitarum
somnia, quo docent Sacramenta V. T. contulisse gratiam
ex opere operantis h. e. ex fide & devotione suscipientis. N.
T. Sacramenta conferre gratiam ex opere operato.

LII. Ex hinc eò usq; absurditatis Scholastici cum-
primis progressi sunt, ut indelebilis characteris impressio-
nem praeter imò contra Scripturam sacram asserere non
erubuerint.

LIII. SUBJECTUM Paschae aliud est in quo,
aliud circa quod.

LIV. Subjectum in quo erat locus isque vel pri-
vatus vel publicus. Privatus ante occupatam
terram

terram Canaan erant domus seu aedes privatae p. in Aegypto Ex. 12, 28. p. in deserto Num. 9, 5.

LV. Publicus tum in occupatione terre Canaan erat campus Iob. 5. 10. tum post occupationem erat templum idq. vel ante captivitatem 2 Par. 30, 14. 4. Reg. 23, 21. vel post illam Es. 9, 19.

LVI. Subjectum circa quod seu objectum est vel ordinarium vel Extraordinarium.

LVII. Ordinarium fuit universus cætus filiorum Israel distinctus per tribus, familias & aedes. Sin numerus comedendo non sufficeret, vicinus communicata opera & sumtu ad agnum immolandum assumtus fuit Ex. 12, 5, 34.

LIX. Clarescit ex dictis vera Sacramenta bona esse Ecclesiae publica. Cum n. promissio sit universalis, utpote Sacramenta etiam illis annexa erunt universalia.

LIX. Servit hoc ad refutandum Cinglij & Anabaptistarum furorem, quo parvulos salutaris baptismatis lavacro more penitus Sathanico privare student.

LX. Servit etiam ad retundenda Pontificulorum deliria, quibus talia excogitarunt Sacramenta, quae simul in eadem persona nequevent consistere.

LXI. Nemo autem vi divini interdicti nisi circumcissus ad paschale hoc admittatur epulum Ex. 12, 40, 50. Non v. omnis circumcissus. Nam infans loquela & iudicio destitutus participare de hoc Sacro Epulo non potuit Exod. 12, 26, 27.

LXII. Proinde male Veterum nonnulli, infantibus Cœnam porrigendam cum Augustino censuerunt. Baptismus quidem, ad circumcisionis exemplum, infantibus est conferendus Marc. 10. tam in Ecclesia natis, quam illis qui in Christianorum potestatem, bello, emptione vel alia
ratio *

ratione venerunt; quia vero rationis usu destituuntur,
& hinc se ipsos probare nequeunt 1. Cor, 11, 20. ad Eucha-
ristiam minus admittendi sunt.

LXIII. Discrimen proinde probe hic observandum in-
ter Sacramentum initiationis & confirmationis. Hinc
quamvis femellæ non fuerunt circumcisæ sunt tamen ad
sacrum Paschatis convivium admisse uti ex c. 12, v. 16, 17.
in obscuris colligitur inditijs.

LXIV. Extraordinarium Paschæ objectum fuerunt
Profelyti ad Israeliticam & veram religionem conversi
& circumcisi Ex 3 12, 49. 2. Paral: 50, 25.

LXV. ADJUNCTA Paschatis fuerunt solennes
Ceremoniæ & Tempus.

LXVI. Ceremoniæ fuerunt certi ritus, quibus Pa-
scha secundum ordinationem divinam comedebatur.

LXVII. Præcipitur enim illis 1. ut lumbis sint præcin-
cti, cujus succincturæ mysticam notam interpretatur Apo-
stolus Eph. 6, 14. Christus Luc: 12, 35. Dein ut pedibus sint
calciati, quod spiritualiter piam conversationem innuit,
3. ut baculum manu teneant quo gressus & greges suos in
itinere regant de quo Ps. 23.

LXVIII. Ut festinanter comedant, nec moras in Æ-
gypto nectant, utq; Satane regnum celeriter derelinquen-
dum sciant, & cœlestia ardentissimo studio summaq; con-
tentione querant, 5. ut panibus azymis & herbis amaris
adhibitis comedant.

LXIX. Tempus paschæ tergeminum in textu com-
memoratur. Institutionis Administrationis & Su-
rationis.

LXX. Institutionis incidit in annum M 2454. Ado-
ministrationis juxta diversas actiones in S. hoc Epul-
adhibi

epulo adhibitas variat, ratione nimirum vel segregatio-
nis, vel mactationis vel assationis & manducationis. De
quibus singulis Rev. & Cla. Dn. D. Gerhardum accurate dis-
serentem consulas.

LXXI. Ex hac Temporis circumstantia emergit quæstio
Anne Christus die divinitus constituto manduca-
rit pascha? Ratio dubitandi exsurgit inde quia Christus
pridie ejus diei celebravit Pascha, qua Iudæi postea suum.
c. 18, 8, c. 19, 14. Aut ergo Iudæi non manducarunt Pascha
justo tempore, aut Christus violatæ legis reus erit. Non hoc.
E. Iudæi hac in parte à divinæ legis præscripto decesserunt.


LXXII. Palàm hoc facto docentes Ecclesiam quamvis,
ejusdemq; Doctores & Episcopos errare posse. Utinam hoc
Romane Idolomanie Coriphæus cum purpurato comina-
tu suo probe perpenderet!

LXXIII. Durationis tempus extendit se usq; ad Messie
adventum, mortem & Sacrificium. Unde in N. T. desijt Agni Pa-
schalis celebratio. Veniente n. corpore cessabit umbra Colos. 2, 16.

LXXIV. Tandem αἰολογία tot rituum ceremonialiū
continetur his verbis: Quia transitus est jehovæ, Quorū genuing
sensus probe tenendus contra stupidas & tropicas Cinglij ejusq;
nocturni & obscuri monitoris phantasias.

LXXV. Possem jam evagari latius. Nam hoc loco profun-
dissima sese mihi differendi de divini Numinis Οἰκονομία
Paschalis Epuli αἰολογία, devota mentis ἱερολογία &c.
aperit abyssus, verum quia chartula angustia valide hoc vetat,
vela contrahere nolens volens, cogor.

LXXVI. Quod superest, oculos & animos nostros ad te eleva-
mus Jesu Christe, Agne Dei immaculate, qui tollis peccati mun-
di & destruis opera diaboli, te q; cum caelesti accinimus Exercitu
hac Archymnologia; Dignus est agnus qui occisus est ac-
cipere virtutem & divitias & sapientiam &
fortitudinem & honorem & gloriam &
benedictionem Amen.




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



REGII
AMENTIS
Septima
HATE,
JEHOVA
ESIDIO
RIS MEISNERI
D. & P.P.
o examinandam
ERTUS Steinmüller/
indelicus.
nb. horis pomeridianis
io minori.
ERGÆ,
annis Gormanni,
DC. XX.

